



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 77. Tres Belgii Episcopi, totidemque Lovanienses Theologi adventantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI. „probi omnes pollicebantur. „ Acce-
A. C. 1563. pto hoc responso Biragus discessit.

§. LXXVII.

*Tres Belgii Episcopi, totidemque
 Lovanienses Theologi adven-
 tantes.*

Pallav. n. 4. *§ 5c* *Viscont. to. 1.* *Leit. 45. p. 83 a* Sub idem tempus die vigesima prima Junii tres Belgii Præsules, totidemque Universitatis Lovaniensis Theologi a Philippo II. Hispaniæ Rege Tridentum missi advenerant: porro tres (*) illi Præsules erant Franciscus Richardotus, Antonius Havesius Dominicanus, & Martinus Ritovius, quorum primus Atrebatensis, alter Namurcensis & postremus Iprensis Episcopus: Theologi vero erant tres viri celeberrimi, Michael Bajus, Joannes Hesselius, de quibus alibi scriptum est, & Cornelius Jansenius, postea Gandavensis Episcopus, atque Autor commentarii in concordantiam Evangelii. Jam tunc, cum Commendonus in Belgio morabatur, sicut nar-
 ravimus, gravissimis utrimque rationibus dubitatum fuerat, an expediret ad Concilium mittere Theologos Bajum, & Hesselium, cum quasdam erroneas
 opinio-

(*) Vicecomes loco Episcopi Namurcensis nominat Antistitem Leodiensem.

opiniones tradidisse accusati fuissent. Sæcul. XVI.
 Tandem existimabat Granvellanus Car- A. C. 1563.
 dinalis eosdem tum propter absentiam
 suam ab ea regione, ubi discordia fer-
 vescebat, tum propter communicatio-
 nem cum viris doctis, & auctorita-
 te præditis, quibuscum in Conci-
 lio conferre possent, fore, ut reduci
 valerent ad veritatis semitam, necnon ad
 doctrinam magis sanam, magisque or-
 thodoxam, ac erat illa, quam hucus-
 que tradidisse accusabantur: eapropter
 idem Cardinalis illos tanquam Hispa-
 niæ Regis Theologos deputari permi-
 sit, unde Tridentum unacum Episcopis
 supra memoratis profecti, ibidem vige-
 sima, aut vigesima prima Mensis Junii
 advenerunt: Granvellanus quoque in eo-
 rum favorem ad summum Pontificem
 perscripsit, rogavitque, ut Papa suis Le-
 gatis præciperet, quatenus illos perbe-
 nigne exciperent, eosque mitius habe-
 rent, ut illos eo facilius ad saniora
 revocare possent, præcipue cum aliunde
 doctrina præstantes haud exiguam
 animi demissionem præferrent.

§. LXXVIII.

*Belgarum petitio ad Synodum de
 edendo decreto adversus Anglicæ
 Reginam.*

X 3

Horum